



• S • G • B • T • B •

• 1 • 6 • 6 • 1 •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



47
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XIV.

De

ÆTERNA PRÆ-
DESTINATIONE HOMI-

num, in fide justificante ad finem usq; vi-
tæ perseverantium,

Proposita,

In Electorali Academia VVittebergenlis,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

JOHANNÉ COSSENIO Femariâ, Hollato.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 27. Junii.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO MDCXXX.

COLLECTI TERTII
In Augustanum Contestionem

DISPUTATIO XIX.

DE
DESTINATIONE HOMI-
NVM IN SIBI Iustificante ad suam ult. vi-

tae per se veritatem.

in Electorali Academia Vitebergensi

PRÆSIDIO

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doc. & Prof. P. M. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Praeposito

RESPONDENTE

JOHANNI GOSSENIO Ferratis, Hollæ.

Auditoris Collegii Viteberg.

At Vitebergæ, Julii 27. 1722.

WITTEBERGÆ

Typis Harlechin SALOMONIS ABRABACH, Acad. Typogr.

ANNO MDCCLXXII.





D. O. M. A.

Continuatio.



UM Ecclesia propriè sit cæ-
tus Electorum; res ipsa postu-
lat, ut Evāgelicam de Electio-
ne doctrinam hīc repetamus,
& appendicis loco breviter exponamus.

T H E S E S

Electiois sive prædestinationis doctrinam longè diffici-
limam, quippe iudiciorum divinatorum abyssum profundissi-
mam pandentem, rationis & iudicii humani acumine scrutari
volens, idem faciet, quod, qui candens ferrum non forcipe,
sed digitis attrectare satagat.

II. Quòd si enim, Philosopho teste, *l. i. Metaph. cap. i.* ut
vespertilionum oculi ad lucem meridianam, sic se habet in-
tellectus noster ad ea, quæ sunt omnium in natura manifestissi-
ma: quantò magis in hisce divinatorum consiliorum capeffen-
dis adytis, is occæcatus sit necesse est, ut minimè percipere
queat, quæ sunt Spiritus Dei. *1. Cor. 2: v. 14.*

III. Quid? quòd ipse Apostolus Paulus, vas illud divi-
næ electionis (*Act. 9. 15.*) mysterium hoc paulò altius expendēs,
in exclamationem penè insolitam erumpat: *O profunditas divi-
tiarum sapientia & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudi-
cia eius, & impervestigabiles viae eius, Rom. 11. 33.*

IV. Hinc nonnulli ex Patribus moti, timidiusculè ac
parcè admodum de Prædestinationis hoc Articulo egerunt, &

quidam nostræ ætatis Theologi satius esse meliusque judicaverunt tacere, quàm in Ecclesia & Scholis de re, multis, spinosis, difficilimis & insolubilibus quæstionibus intricata, multa non sine insigni periculo & scandalo auditorum & discipulorum movere & proponere.

V. Verum enim vero etiamsi multa in hac vita sint maneatque abscondita, quorum cognitio plenaria & perfectior in alteram vitam reservatur merito; proindeque in obscuris illis Patrum antiquorum modestia circumspectioque non vituperanda, sed laudanda est. propterea verò ab hujus cum primis doctrinæ sobria investigatione & tractatione planè abstinere velle, matæologicum potius, quàm Theologicum videtur: cum vix ullus Articulus detur alius, cujus frequentior in scripturis injiciatur mentio, & instituat tractatio, ut in progressu videbitur.

VI. Quemadmodum igitur, ut præclare D. Ambrosius inquit, *quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: ita, quæ manifesta fecit, non sunt neganda, ne in illis curiosi illicite, in istis verò damnabiliter inveniamur ingrati.*

VII. Consiliorum quidem Dei sublimitatem Apostolicum pectus hic devotè & humiliter veneratur, & in iis Dei sapientiam humanæ rationi imperscrutabilem prædicat, amplificat, & majorem in modum extollit: hoc ipso verò, quod hæc prædestinationis doctrina in sacris literis non satis explicata sit, illum significare & docere velle, vel etiam Stoicam, istud figmentum de prædestinationis & reprobationis absolutæ decreto simplici, quo Deum quosdam ad æternam damnationem projecisse, & ad perpetuum interitum condidisse aliqui impiè scribunt, confirmare, impium figmentum est.

VIII. Quandoquidem hæc ejus admirationis est causa, quod Deus (ut rectè explicat Aegid. Hunnius) pro sua admiranda sapientia nunc hos nunc illos vocat & illuminat: quod reiectis Judæis Gentiles olim incredulos præter omnem humanam expectationem ad Evangelij gratiam convertit: quod item Judæos, per incredulitatem abjectos, rursus supra, & præ-

præter spem humanam inferere, atque hoc modò suæ gratiæ exempla, ut & severitatis judicia mirabiliter ostendere, & exercere novit & solet.

IX. Ut ergo rationi, extra scripturam vaganti, obscurissima est hæc doctrina; ita sacras literas, (quippe in quibus nihil est prætermisum, quod salutis, proindeque Electionis nostræ, negotium spectat: quin potius, Apostolo teste, revelatum sit omne consilium Dei, *Act. 20. 26.*) debita diligentia, & pia devotione scrutanti, non potest non esse clara, perspicua, certa.

X. Intra cancellos ergò & limites verbi divini quando nos continemus, utiliter bonaque cum conscientia in æternæ prædestinationis mysterio inquirendo, scrutando, explicandoq; nos versari posse rati, ad rem ipsam, quod Deus bene veritat, accedimus.

XI. Deus cum ante mundi hujus constitutionem videret hominem seductum iri, & in æternam damnationem ruiturum; Creationem propterea ejus intermittere noluit, sed tantæ calamitatis misertus, & amore suo erga genus humanum morus, de redimenda ejus & reducenda salute consilium iniit: nempe ita dilexit mundum, ut filium suum unigenitum in carnem mittere nobisq; dare decreverit, ac in plenitudine quoq; temporis miserit, ut omnis qui crederet, haberet vitam æternam, *Job. 3. v. 16.* Quod paternum & clementissimum Dei consilium in Ecclesia vocatur Electio sive Prædestinatio: Græcè *ωρολογισμός*. Cujus considerandum prius nomen, tum res ipsa.

XII. Nomen quod spectat, initio tenendum, quod in doctrina hac planè *Συμῶννα* sint, eandemq; latitudinem obtineant, Prædestinatio & Electio: quod etiam utrumque secundum tot literas & syllabas habeatur, itemque quoad sensum, indifferenter usurpetur in scripturis *Rom. 8. 30.* *Quos prædestinavit, hos & vocavit.* *Eph. 1. 5.* *Qui prædestinavit nos, ut adoptaretur in filios per Jesum Christum in sese juxta beneplacitum voluntatis sue.* *Matth. 20, 28.* *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* *Eph. 1. 4.* *Quemadmodum elegit nos in ipso antequam jacerentur fundamenta*

mundi. 2. Theff. 2. 13. *Deus elegit nos ab initio in salutem in sanctificatione Spiritus & in fide veritatis.*

XIII. Nugas itaque nugantur, qui Prædestinationem quidem ab æterno factam esse; Electionem verò in tempore demùm fieri contendunt: cùm Scriptura nullibi distinctionē hanc agnoscat: sed unam eandemque sive Prædestinationem, sive Electionem ad salutem, eamque ab æterno factam, nobis dilucidè proponat, ut ex locis allegatis satis liquet.

XIV. Cæterùm & hoc observandum est, quòd Prædestinatio adhuc alia in scripturis habeat nomina. Interdum enim vocatur *κατ' ἐξοχήν Liber*: ut Daniel, 12. v. 1. *Salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit, scriptus in LIBRO.* Interdum *Liber Dei* dicitur, Exod. 32. v. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele mi de LIBRO tuo, quem scripsisti.* Interdum *LIBER viventium*, & cum justis scribi denominatur, Psal. 69. v. 29. *Deleantur de LIBRO viventium, & cum justis non scribantur.* Interdum *Liber vitæ* appellatur, Rom. 9. v. 10. 11. Philip. 4. v. 3. *Quorum nomina scripta sunt in LIBRO vitæ.*

XV. Tandem & hoc minimè negligendum est, quòd Prædestinatio à Præscientia & Providentia in hoc articulo diligenter sit distinguenda.

XVI. A Præscientia quidem: Nam tamesi Prædestinatio non sit sine præscientia, ut infra pluribus videbimus; nequaquam tamen hæc cum illa est confundenda. Præscientia enim ut se ad universa extendit; sic rerum præscitarū non causam continet; sed eafundem simplicem duntaxat, ac nudam notitiam complectitur. Quandoquidem atrocissima quævis pessimorum hominum scelera præscit Deus, vel potius extra temporis considerationem scit & novit; minimè tamen hæc ipsius notitia sive visio illorum est causa. Prædestinatio verò tantùm circa hominum salvandorum curam occupata, causæ rationem obtinet: quæ salutem nostram, & quæ ad eam pertinent, procurat, efficit, juvat, promovet. Atque hoc est, quod Damascenus dicit: *πάντα προγνώσκει μὲν ὁ Θεός, ἔπειτα δὲ προορίζει*: omnia quidem præscit Deus, non tamen omnia prædestinat.

nat. lib. 2. Orb. Fide cap. 30. Et Augustinus lib. 1. de prædest. sanct. c. 10. & Fulgent lib. 1. ad Monimum dicunt: Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine Prædestinatione præscientia.

XVII. A Providentia distinguitur Prædestinatio, ut pars à toto vel species à genere. Hæc enim res creatas omnes; Illa tantum homines, eosque finaliter credentes, respicit. Habent ergo vocabula illa, *Prædestinatio, Providentia & Præscientia* ingenium illorum, quæ Philosophis dicuntur τὰ ἀφ' ἐνός; quorum ea est natura & conditio, ut supremo posito, ponantur & inferiora reliqua omnia non contra. Sic Prædestinatione posita, ponatur necesse est & Providentia aliqua & Præscientia: vice verò versa non item. Hactenus de nomine Prædestinationis.

XVIII. Sequitur nunc res ipsa explicanda. Ubi primum considerandum, unde illa sit petenda? Deinde tractatio ipsa instituenda.

XIX. Prius quod spectat, sciendum, quod doctrina hæc non ex Lege sit sumenda, ut per quam est tantum agnitio peccati, *Rom. 3. v. 20.* & iram operatur *Rom. 4. v. 15.* Sed neque ex rationis iudicio petenda, quippe quæ, ut in spiritualibus omnibus; sic etiam in hoc arcano, cæca est, nec quicquam intelligit: Proinde contra manifestum Dei verbum, absolutum quoddam decretum de quorundam, sine ulla profus determinatione consideratorum, perpetua salute sibi fingit, quos salvari, & vel tandem converti omnino sit necesse, cæteris, qui non absolute ita electi sunt, à Dei gratia, sine ulla conditione simplicissime rejectis & reprobatis. Sed ex solius Evangelii verbo revelato integra hæc Prædestinationis doctrina est haurienda & discenda: In illo enim solo Deus omne consilium suum de salute nostra per λόγον, & interpretem Filium enarravit, *Johan. 2. v. 18.*

XX. Quod Apostolus Paulus toties nobis confirmat, quoties palam testatur, Deum patefecisse nobis *arcanum voluntatis sue, quod proposuerat in seipso, Eph. 1. v. 4. 5. Rom. 16. v. 25, 26. Col.*

26. Col. 1. v. 26, 27. Titum. 1. v. 1. 2. & Apostolos in lucem proferre omnibus, quæ sit communio mysterii, quod erat absconditum à seculis in Deo Ephes. 3. v. 9. & propositum illud Dei, ante tempora secularia factum, nunc palàm factum esse per apparitionem Servatoris Jesu Christi 2. Tim. 1. v. 9. Et 2. Thes. 2. v. 13, 14. expressè dicit Paulus, quòd *Deus elegerit nos, vocaveritq; per Evangelium.* Et Rom. 16. v. 25. definit Evangelium, quòd sit *ἀποκάλυψις* revelatio mysterii, æternis temporibus taciti, manifestati verò nunc, & per scripturas propheticas juxta delegationem æterni Dei, in obedientiam fidei, in omnes gentes patefacti. 2. Tim. 1. v. 10. Tit. 1. v. 3. 1. Pet. 1. v. 10.

XXI. Malè verò Calviniani *λίαν μέγα αἴτημα* fumentes, duplicem in Deo voluntatem, qua erga hominum salutem sit affectus, fingunt: occultam unam; alteram revelatam.

XXII. Occultam quidem voluntatem si quis intelligat de iis, quæ sine salutis dispendio ignorari possint, uri occultum est, quare Deus nullo alio modo vel medio, quàm cruenta redemptione filii homines lapsos in gratiam recipere voluerit, eam concedimus; sed quando illi ejusmodi occultam voluntatem fingunt, quæ voluntati divinæ in Evangelio sit contraria, vel multa ad salutem necessaria occultet & taceat; illam, tanquam figmentum blasphemum & extremè impium, detestamur & rejicimus.

XXIII. In Deum enim simplicissimum, immutabilem & fidelissimum, ut contrariæ voluntates nequaquam cadere possunt, sic benignissimus ille pater noster nihil quicquã, ad salutem nobis necessarium, in arcano retinere voluit; sed quicquid ab æterno decrevit, proposuit, definivit de salute hominum (quod quidem substantiam ipsam salutis causasque ac media necessaria concernit) illud omne in Evangelio revelavit.

XXIV. Quid ergò de Dei erga nos voluntate in hoc electionis negotio concionetur Evangelium, operæ pretium est, quam diligentissimè ponderare & expendere.

XXV. Tractatio itaq; ipsa commodè instituetur, si se-

cun-



cundum Evangelii præscriptum & patefactionem primum electio ipsa in abstracto consideretur: deinde in electis concretè quædam conditiones attendantur.

XXVI. Electio in abstracto sumpta, vel absolutè consideratur ratione internæ suæ essentiæ: vel respectivè, ad objectum collatione factâ.

XXVII. In priore *Jeveja* rursus duo sunt: primum ea, quæ causæ rationem habent: deinde circumstantia temporis.

XXVIII. Causæ rationem habent. 1. Efficiens prædestinationis sive Electionis, & quæ ad efficientem reducuntur media. 2. Finis.

XXIX. Causa efficiens est vel primò ita dicta, sive procreans; vel impulsiva, illam ad agendum instigans & impellens.

XXX. Illa est voluntas cum præscientia juncta. Est enim Prædestinatio sive Electio decretum & propositum voluntatis Dei juxta præscientiam ipsius. *Quos enim præscivit, illos prædestinavit; Rom. 8, 29.*

XXXI. Quod autem prædestinatio sit propositum, & quidem voluntatis Dei, probatur hisce & similibus sacre scripturæ dictis: *Rom. 8, v. 28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt. Ephes. 1, 5. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis sue.*

XXXII. Ubi tenendum, quod voluntas Dei sit vel generalis, vel specialis. Generalis in creatione & gubernatione mundi est revelata. Specialis agnoscitur ex doctrina verbi: quæ quia rectissimè in Legem & Evangelium dividitur, subdistinguitur quoque voluntas hæc in Legalem & Evangelicam. De priore loquitur David, *Psal. 103, v. 7. Notas fecit vias suas Moysi, Filiis Israel voluntates suas. Baruch. 3, v. 29. Hic liber mandatum Dei & lex, quæ est in æternum, &c. Beati sumus Israel: quia, quæ placent Deo, manifesta sunt nobis.* De posteriore, nempe Evangelica, loquitur Christus *Joh 6, v. 39. Hæc est autem voluntas ejus, qui*
B *misit*

misit me, patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed susci-
tem illud in ultimo illo die. Et v. seq. 40. Hæc est autem voluntas e-
jus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat
vitam æternam. Item Apostolus Paulus Eph. 1 5. Qui prædestina-
vit nos spontè pro benevolò affectu voluntatis suæ.

XXXIII. Specialis hæc & Evangelica Dei voluntas
ratione hujus nostri instituti subdividitur in *Antecedentem* &
Consequentem. Ratione instituti nostri, inquam, & *πρὸς ἡμᾶς*
ita dividitur, vel potius distinguitur Dei voluntas: aliàs ut ipse
Deus *ἁπλῶς* simplicissima, ita quoque voluntas ejus in se est u-
nica & simplicissima, quippe ipsa Dei essentia. Est itaque hæc
non tam voluntatis Dei divisio, quàm duplex duntaxat ejus
consideratio: quæ ex diversis scripturæ testimoniis desumitur:
nempe quæ non tantùm testatur, quid de omnibus in univer-
sum hominibus Deus habuerit consilii: verùm etiam, quid pe-
culiariter decreverit de iis, qui consilio illi universali vel obse-
quantur vel etiam repugnent.

XXXIV. Distinctionis hujus ansam primùm præ-
buisse videtur Damascenus: qui lib. 2. de Fid. orth. cap. 21. in hæc
definit verba: *Oportet, Deum antecedenter velle omnes salvari, &*
regnum suum consequi. Neq; enim ad puniendum nos finxit, sed ut
efficiat nos bonitatis suæ participes, ut bonus: peccantes autem vult
puniri, ut justus. λέγεται τὸ μὲν πρῶτον προηγομένον θέλημα καὶ
εὐδοκία, ἐξ αὐτῶ ὄν. Τὸ δὲ δεύτερον ἐπὶ μὲν θέλημα καὶ ὁδοχώ-
ρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας; Prima igitur est præcedens voluntas, & be-
neplacitum dicitur ex ipso Deo existens: Secunda verò voluntas se-
quens & permissio dicitur, quæ ex nostra causa vel culpa oritur.

XXXV. Hanc verò distinctionem non ex suo cerebro
finxit Damascenus, sed ex ipso sacrae scripturæ Novi Testamen-
ti meditullio depromsit. Quandoquidem Christus ipse duo-
bus illis parabolis de nuptiis regiis, & cæna magna *Matth. 22.*
& *Luc. 14.* solidissima illius fundamenta suppeditat. Nam Rex,
qui ibi introducitur, nuptias parans filio, & cænam magnam,
instituens, Deus pater Cœlestis est. Is vult, invitat, mandat, ut
omnes veniant: clamat: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei &*
alti-

altitia mactata sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. En tibi voluntatem Dei antecedentem, nihil quàm meram Dei misericordiam spirantem. Verum cum maxima invitatorum pars misericordem hanc Dei voluntatem contemptui habuerint, & repudiaverint, vult idem Rex, hoc est, Deus pater Cœlestis, non omnes, sed illos tantum, qui vocationi, & invitationi huic locum dederint & comparuerint, Cœnam hanc gustare: de ceteris verò ingratis & contemptoribus vult, & hanc fert sententiam: *Dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam.* En voluntatem consequentem. Illa enim antecedente voluntate invitati omnes, vultque, ut omnes veniant ad nuptias, ad Cœnam; nequaquam tamē vult, ut omnes sine discrimine gustent Cœnam suam, sive invitationi locum relinquunt, sive non, sive veniant sive non: quam consequentem voluntatem dicimus.

XXXVI. Cæterum voluntas Dei antecedens, quæ etiam respectu consequentis *universalis* dicitur, duplici modo consideranda est: Primò in essentia: secundò in suis fundamentis.

XXXVII. Essentiam explicat definitio: quam cum orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus talem damus: Voluntas antecedens est de salute totius generis humani consilium, beneplacitum & decretum Dei æternum, quo Deus NEMINEM præterit; sed seriò & constanter & ardentè cupit & expetit, ut omnes homines per fidem in Christum salventur. De voluntate hac loquitur Jehova Ezech. 18. v. 23. & c. 33. v. 11. *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Et Apostolus 1. Tim. 2. v. 4. *Hoc bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui OMNES HOMINES VULT salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Eph. 1. v. 9. *Deus pater secundum beneplacitum suum proposuit, in dispositione plenitudinis temporum instaurare OMNIA in Christo, quæ in terris sunt.* 2. Pet. 3. v. 9. *Deus non VULT aliquos perire, sed OMNES ad penitentiam reverti.* Imò Luc. 19. v. 4. & Matt. 23. v. 37. sanctè testatur Christus, se etiam ipsos percunctes, ita voluisse colligere, sicut Gallina pullos colligit, sed ipsos poluisse.

XXXVIII. Atque hinc, nempe respectu hominum, voluntas hæc rectè dicitur Universalis: quia omnes omnino homines respicit & complectitur, tribusq; immotis universalibus fundamentis innititur. Primum est Universalis Dei dilectio & misericordia: quâ Deus omnes homines complexus est, & neminem in salutis hoc cõsilio odio absoluto præterit. De dilectione hac testatur Psal. 145. v. 8. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & magna misericordiae: bonus est Dominus Universis & miserationes ejus super OMNIA OPERA ejus.* Item Syr. 18. v. 16. *Misericordia hominis est tantum erga proximum: DEI autem misericordia effundit se in TOTUM mundum.* Universalem quoq; Dei dilectionem esse, docet ipse Christus aureo suo dicto Joh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

XXXIX. Quandoquidem ex illo *ὑποδεικτικῶς* inferatur, Deum non tantum, me, te & sic quosdam duntaxat homines, dilexisse, sed totum Mundum, h. e. omnes impios Dei hostes, qui in mundo vivunt. Nam verbum *Mundus*, hoc loco non significat Splendidam & magnificam hujus Universi, Cœli & terræ, structuram: sed colluviem nequissimorum hominum & hostium Dei, qui potius infernum & æternam damnationem, quàm tam pretiosum donum, Filium Dei, sunt meriti. Ut ita dilectio hæc generalis satis manifestè arguatur, super pessimos etiam Dei hostes, qui nunquam convertentur, vel amore hoc fruuntur, se extendens. Atque in prædicta significatione communiter vocabulum, *Mundus*, in Novo Testamento usurpatur, ut Joh. Epist. 1. cap. 5. v. 19. *Mundus totus in malo constitutus est.* Joh. 14. v. 17. *Spiritus veritatis mundus non potest accipere.* Quid? quod nullus ex Johanne locus, neq; ex Evangelio ejus, neque ex Epistolis adduci possit, in quo *Mundus* pro credentibus & electis filiis Dei usurpetur.

XL. Voce itaq; *Mundi*, Christus omnes homines complectitur: uti etiam illam interpretatur Doctor Lutherus in Postillis privatis super Evangelium Johan. 3. in secunda Feria Pentecostes, sic scribens: *Sed, inquis, si Deus mihi hoc sigillatim*

promitteret, tum crederem, & possem esse certus, quòd ad me quoq;
pertineat? Nequaquam O bone! Nam Deus universaliter hoc affir-
mat, quod hic Filius, adeoq; vita aeterna toti Mundo promissa & do-
nata sit, ut **NE MINEM PRORSUS EXCLUDAT**: si quis
autem seipsum excludit, ei hoc nomine ratio reddenda erit. Sic ait
Christus: Ego non iudicabo eos, sed proprium ipsorum os iudicabit il-
los, eò, quod hoc donum, toti Mundo oblatum & exhibitum, ipsi pro-
pria sua incredulitate contra verbum Dei recipere noluerint.

XLI. Sic universalitatem huius amoris & dilectionis
Dei evidenter asserit D. Paulus Rom. II. v. 23. *Conclufit Deus o-
mnes sub incredulitatem, ut omnium miseretur.* Nam si dilectio
& misericordia Dei, erga genus humanum redimendum & sal-
vandam, universalis non esset, falsissimum foret hoc Pauli di-
ctum. Quod verò quia blasphemum est asserere, certum &
immutum manet, Deum nolle cuiusquam hominis interitum;
sed potius velle voluntate sua Antecedente misereri omnium,
hoc est, offerre serió misericordiam suam omnibus. Cujus ta-
men misericordiae deinde non omnes (idque sua culpa) parti-
cipes fiunt: sed credentes tantum, qui per fidem, ex verbo præ-
dicato & audito excitati, hanc Dei misericordiam, in Evan-
gelio oblatam, apprehendunt, sibiq; applicant: quo respectu
cap. 9. dicitur: *miserere, cuius miserere: Item, cuius vult, miseretur,*
nempe voluntate consequente, quatenus misericordia, omni-
bus in Evangelio oblata, à quibusdam duntaxat apprehendi-
tur, à maxima verò multitudine contemnitur: qui sui ipsius cõ-
temptus pœnas luunt, ut severam Dei justitiam experiantur,
dum misericordiam ejus amplecti recusant.

XLII. Sic ad Titum 2. v. II. ait Apostolus: *Illuxit gratia
& Φιλανθρωπία Dei salutaris OMNIBUS HOMINIBUS.*
Quò aphorismo comprehendit Apostolus pulcherrimam &
compendiosissimam summam totius Evangelii, mira brevita-
te omnes salutis nostræ causas continentem. Nam in voce *Gra-
tia* intelligitur favor Dei in Christo, quæ sunt duæ primariæ
causæ efficientes salutis nostræ. Deinde verbo *ἐπιφάνη* illu-
xit, affulsit, duæ instrumentales causæ indignantur. I. Respectu
Dei;

Dei; verbum Evangelii, quod illuxit, affulsit in Novo potissimum Testamento, & repente tanquam fulgidum aliquod iubar, oriens ex alto, nobis miseris mortalibus, in umbra mortis sedentibus, oblatum est: proindeque simul indicatur, clarius nunc prædicari Evangelium per Orbem terrarum, quam unquam antea in sola Judæa. 2. Respectu nostri, Fides: hæc enim prædicato Evangelio in cordibus accensâ præter omnem expectationem subito cum ingenti quodam splendore agnitionis Dei & Christi, regenerationis & renovationis quamplurimi emicuerunt, ut ex prima Petri Pentecostali concione manifestum est, Act. 2. Tertio in dictione *salutifera* finalis causa indicatur, simulque gratuita esse hæc salus demonstratur. Tandem in voce *OMNIBUS hominibus*, materialis causa, sive objectum, cui gratia hæc oblata est, indicatur: & tollitur illâ omnis particularitas, simulque tum omnes, sive sint Judæi sive Græci, indigere hæc gratia & justitia, tanquam injustissimos, tum etiam ipsam sine discrimine omnibus patere ostenditur. Atque sic Dilectionem Dei Universalem esse, amoremque & gratiam omnibus oblatam, ex hoc quoque Apostoli Pauli Aphorismo satis evidenter colligatur & intelligitur.

XLIII. Alterum fundamentum est, Universale & sufficiens Christi meritum: Nempe quod Filius Dei, passione & morte, imò tota sua obedientia, atque ita agendo & patiando pro totius mundi peccatis sufficiens *ἀντὶ πάντων* persolverit, & sic justitiæ divinæ & inde fluenti iræ Dei adversus peccata ex asse satisfecerit.

XLIV. De hoc salutis nostræ fundamento testantur scripturarum Oracula. Esa. 53 v. 6. *Dominus posuit in eo iniquitates OMNIUM NOSTRUM.* Quos autem per illos *OMNES* intelligit Propheta? Tantumne credentes? Non sanè. Nam seipsum satis explicat, nempe omnes illos complecti, qui tanquam oves erraverunt. Sic enim præmittit: *omnes nos, quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit.* Non ergo dicit Esaias: omnes nos *Electi*: sed omnes nos homines, quasi oves erravimus. Quandoquidem non sic tantum *Electi*, sed omnes

omnes homines errarunt: quippe qui omnes in Adamo sunt lapsi, & à Deo averti, proindeq; pessimè erraverunt, & quisq; hominum in viam suam declinavit.

XLV. Sic apud Johannem cap. 1. 29. ait, & clamat Baptista: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et Joh. 6. 51. dicit Christus ipse, *carnem meam dabo pro Mundi vita.* 2. Cor. 5. 9. *Deus, inquit Apostolus, erat in Christo, reconcilians sibi mundum.* 1. Joh. 2, 2. etiam testatur: *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum: sed pro totius mundi peccatis.* In hisce autem & similibus dictis interpretandis vocabulum *mundi* non particulariter, pro solis credentibus, sive Electis, sed Universaliter, pro omnibus hominibus, etiam hostibus Dei, accipiendum esse, in præcedentibus monuimus: id quod etiam in ultimo allegato dicto *ue est uos* ille Johanniticus evidenter ostendit, qui in prima parte ponat necesse est Electorum, & in posteriore, omnium infidelium peccata: nisi ineptissimum istiusmodi sensum nobis imaginari, & Apostolo affingere velimus: Christus est propitiatio, non tantum pro Electorum, sed etiam pro Electorum peccatis.

XLVI. Rursus Christus Joh. 3. 17. dicit: *Non enim Deus misit Filium suum in mundum, ut condemnet mundum: sed ut seruetur mundus per eum.* Idemque repetit Johan. 12, 47. *Non enim veni, ut condemnem mundum, sed ut seruem mundum.* Quibus verbis bis repetitis damnare vult Dominus pravam hypocritarum opinionem, Christum esse Legislatorem & judicem, bonis bene & malis malè facientem: simulque dicere, se tantum ad hoc in primo suo adventu venisse, ut suo merito, justitiâ aut persolutione peccatores seu debitores ac injustos salvos faciat: si modo eum fide apprehendant: proindeq; non venisse in exitium hominum, aut ut perdat genus humanum: sed potius in bonum, ut omnes serventur, nec ullus pereat. Atque hoc etiam est, quod dicit ac docet Christus Luc. 19, 10. Matth. 18, 11. *Veni Filius hominis salvare, quod perierat:* h. e. omnes eos, qui per & propter peccatum æternæ damnationis obnoxii, & à favore patris Cælestis alieni fuerant, h. e. omnes sine ullius exceptione homines.

47. Per-

XLVII. Pertinent & huc, missionemq; Christi & redemptionem Universalem totius generis humani evidenter convincunt dicta Pauli, Rom. 5. 18 *sicut per unius hominis delictum reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita per unius justitiam gratia redundavit in OMNES HOMINES ad justificationem vita.* 2. Cor. 5. 14. *Unus pro OMNIBUS mortuus fuit.* Coloss. 1. 20. *Sanguine Christi restaurata sive reconciliata sunt OMNIA in caelo & in terra.* 1. Timoth. 2. 6. *Christus est Salvator OMNIUM, maximè fidelium.* Ubi omnium & fidelium fit subordinatio, & indicatur, quod non tantum horum, sed promiscuè omnium salvator venerit Christus, cum hoc tamen discrimine, quod in sua satisfactione & redemptione cum primis respectum habuerit ad fideles, quippe in quibus ea finem suum consecuta sit: nequaquam tamen præterierit infideles: inde enim passim in scriptura dicitur SALVATOR MUNDI, Luc. 2. 11. Job. 4. 42 1. Job. 4. 14. &c. Et alibi scriptura expressè docet, quod Christus etiam pro delictis satisfecerit istorum, qui propria culpa pereunt. Nam Rom. 14. 15 inquit Apostolus: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et 1. Cor. 8. 11. hortatur Corinthios, ne per abusum Christianæ libertatis perditioni tradant eum, pro quo est Christus. Et Petrus Epist. 2. c. 2. 1. de falsis Doctoribus & impostoribus scribit: *Doctores mendaces abnegant Dominum, qui eos mercatus est, superinducentes sibi celerem perditionem.* Et Epist. ad Heb. c. 6. 6. & c. 10. 29. asserit, illum quoque per sanguinem Christi sanctificatum esse, qui tamen Filium Dei pedibus conculcet, & sanguinè fœderis prophanum ducat, & spiritum gratiæ contumelia afficiat. Quid verò hisce scripturæ oraculis planius, quid nervosius pro sententia nostra de Universali merito Christi redemptioneque totius generis humani asserenda dici poterit?

XLVIII. Tertium fundamentum est Universalis omnium hominum vocatio: quod nimirum Spiritus sanctus per universale verbi ministerium omnes homines vocat, & in verbo & Sacramentis omnia, Christi obedientiâ & merito parta beneficia, toti mundo, atq; ita OMNIBUS hominibus; ne-

mine

mine excepto, offert, utq; omnes ea per fidem apprehendant, possideantq; & ita salventur, serid vult & protestatur.

XLI X. Constat ergo generalis hæc vocatio tribus gradibus. Primus est: Quod Deus sicut ab æterno voluit & decrevit, ut verbum gratiæ sive Evangelium omnibus revelatur & prædicetur: sic etiam omni tempore, & quidem quinque vicibus verbum suum toti mundo revelavit: uti id Christus in parabola de operariis, in vineam conductis, docere voluit Matth. 20.

L. Primum enim statim post creationem mundi post lapsum hominis in Ecclesia Adamitica ipse Deus prædicatoris partes in se suscepit, & Protevangelium illud de Semine mulieris contrituro caput serpentis annunciavit, idq; subsequen- tibus temporibus Adamo, Setho, Enocho, & cæteris propaga- re demandavit. Atque hoc est, quod Christus in parabola di- cit: *Simile est regnum Cælorum patrifamilias, qui exit primo statim diluculo ad conducendos operarios in vineam suam.*

LI. Deinde Cœlestis hic paterfamilias rursus egredi- tur circiter horam tertiam (pergit Dominus in parabola sua) hoc est, circa annum à condito mundo sesquimillesimum. Nam dies non tantum æstivo, sed etiam hiberno tempore à Ju- dæis dividebatur in duodecim horas, Joh. II. 9. Si igitur totum durationis mundi tempus esse debeat annorum sex mille, ut est communis conjectura, contineat necesse est hora una an- nos quingentos, & sic tres horæ annos mille quingentos, ut sic tertia illa hora notet tempora missionis Noæ concionatoris Justitiæ. Nam etiamsi diluvium incidat in annum mundi mil- lesimum sexcentiesimum quinquagesimum sextum: Arcam tamen ædificare incepit Noa anno mundi sesquimillesimo tri- gesimo sexto: cum adhuc aliquot annis ante Arcæ hujus ædifi- cationem ad prædicandum poenitentiam & annunciandum diluvium à Deo missus esset. Hunc post diluvium sequitur Abraham vocatus ex Ur Chaldæorum: & hunc cæteri Patriar- chæ & fideles Dei servi, verbiq; divini Præcones, Isaac, Jacob, Joseph, Moses &c.

○

52. Ter-

LII. Tertia vice egreditur Paterfamilias circa horam sextam, quod est meridianum, sive dimidium durationis mundi tempus, quod incidit in annum mundi ter millesimum, & subsequentes, & est tempus Prophetarum, quo Elias, Elifæus, Jeremias, & qui hos subsecuti sunt, Prophetæ, docuerunt.

LIII. Quarta vice exit Paterfamilias circiter nonam horam, quæ notat tempus, quod fuit circa annum mundi quater millesimum, quo Christus, Johannes Baptista, & Apostoli publicum suum ministerium inchoarunt. Nam Christus nascitur anno mundi ter millesimo nongentesimo sexagesimo secundo: concionari incipit anno ætatis trigesimo: qui si addantur prioribus, efficiunt annos ter mille nongentos nonaginta duos: qui proximè ad annum mundi quater millesimum accedunt.

LIV. Quintâ vice exit Paterfamilias circiter horam undecimam. Undecim horæ faciunt annos quinquies mille quingentos: & accedunt ad tempus illud, quo Lutherus à Deo excitatus est, & vocatus ut prædicaret Evangelium. Nam anno post Christum natum sesquimillesimo decimo septimo, & sic anno mundi 5479. contra Papam Romanum disputare Lutherus; annis autem viginti post doctrina Lutherana, hoc est, purum Evangelium maximè florere cæpit.

LV. Quauquam igitur (quod molestissimum fuisse Deo, querelæ ipsius Gen. 6. & 8. & passim alibi luculenter convincunt) maxima hominum pars omnibus seculis verbum gratiæ repudiavit, seq; indignâ vita æterna præstitit, ut Paulus Act. 13. v. 36. loquitur; non tamen intestatum se reliquit Deus, Act. 14. v. 17. sed, semper, novis Doctoribus missis, toti mundo verbum suum revelavit & sic factò ipso demonstravit, & quidem præcipuè temporibus Novi Testamenti, quod testatus est per Prophetam, se usq; ad eò ardenter expetere omnium hominum conversionem & salutem, ut tota die expandat manus suas ad populum etiam incredulam, Esa. 65, 2. imò quoq; ad reuertes & ad eos, qui despiciunt omne consilium Dei omnesq; increpationes ejus, Proverb. 1. 24. & 25. Atque hic est primus vocatio-

cationis Universalis gradus: quod Deus vult, ut verbum gratiæ
sive Evangelii omnibus hominibus prædicetur & reveletur.

LVI. Secundus gradus est, quod Deus vult seriò, ut
verbum hoc Evangelii prædicatum & annunciatum omnes
homines audiant, & per illud ad Christum in vera fide se con-
vertant. Quandoquidem hæc verbi prædicati conditio nequa-
quam est, quasi, licet multis annuncietur & prædicetur, id ta-
men maximæ hominum multitudini velit Deus esse obscurũ,
non intellectum, infrugiferum, imò etiam damnosum: sed se-
riò vult, & unicè cupit benignissimus Deus, ut omnes audiant,
auditum intelligant, intellectum amplectantur, & custodi-
ant, desideratque seriò ipse, per illud auditum & custoditum
in his, qui consilium Dei non contemnunt adversus seipsos,
Luc. 7. 30. conversionem & fidem operari, & sic ad hæredita-
tem vitæ æternæ tanquam manu ducere: id quod ex universa
scriptura est manifestissimum.

LVII. Sic enim totum mundum alloquitur, & accla-
mat Deus, Esai. 45. 22. *Convertimini ad me, & salvi eritis OMNES
fines terra.* Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes.* Matth. 28. 19. *Euntes,
docete OMNES gentes.* Marc. 16. 15. *Euntes in mundum univer-
sum, prædicate Evangelium omni creatura.* Joh. 1. v. 7. *Johannes venit
in Testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut OMNES
crederent per illum.* Joh. 17. 21. *Christus patrem rogat, ut credat
MUNDUS.* Act. 17. 30. *Deus nunc annunciat hominibus, ut OMNES
UBI QUÆ penitentiam agant.* Rom. 10. 18. *Psal. 19. 5. In omnem
terram exiit sonus eorum.* Eph. 3. 8. *inquit Apostolus: Mibi omnium
sanctorum minimo, data est gratia hæc, in gentibus evangelizare in-
vestigabiles divitias Christi, & illuminare OMNES.* Col. 1. 23. *Evā-
gelium prædicatum est in UNIVERSA creatura, quæ sub Cælo
est.* 1. Tim. 2. v. 4. *Deus vult OMNES homines salvos fieri, & ad a-
gnitionem veritatis venire.* 2. Pet. 3. 9. *Deus non vult aliquos perire,
sed omnes ad penitentiam reverti.* Imò etiam de Impiis ac infide-
libus convertendis misericordem, & promptam suam volun-
tatem ac desiderium satis perspicuè & emphaticè declarat be-
nignissimus Deus Esa. 65. 2. *Tota die expandi manus meas ad popu-
lum,*

lum incredulum. Et v. 12. *vocavi, & non respondistis: locutus sum, & non audistis, &c.* Prov. i. v. 24. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* Matt. 23, 37. *Quoties volui congregare te, sicut gallina pullos suos, & noluisti.*

LVIII. Inquis, verbum Dei non ubiq; vigere: Unde igitur, si Deus seriò vult omnes homines salvos fieri, illa privatio? Privationis illius culpa vel causa non in Deum rejicienda est: sed ejus extra Deum duplex datur: Una hominum malitia, Act. 13. 46. Paulus & Barnabas sumpta fiducia sic alloquuntur Judæos: *Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei: sed quoniam repulistis illum, & indignos vos judicatis vita eterna, Ecce convertimur ad Gentes.* Huc quoq; referenda est similitudo de quadruplici semine Matth. 13. 3. Luc. 8. 5. & seqq. Quâ ostenditur causa, quod non omnes auditores verbi credant, vel in fide perseverent; non in Deo, sed in ipsis hominibus residere. 2. Majorum ingratitude. Nehemias cap. 13. 17. objurgat optimates Judæ, & dicit eis: *Quæ est res hac mala, quam facitis, & profanatis diem Sabbati? Annon sic fecerunt Patres vestri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc & super Civitatem istam? & vos additis iracundiam super Israel, violando Sabbatum?* Et Esaias cap. 5. minatur Judæis, exterminationem & desolationem propter ingratitude. Conferantur Jerem 7. 11. 12. & seqq. Amos 8. 10. & seq. Et Matth. 21. 43. dicit Christus: *Propterea dico vobis, quod tolletur à vobis regnum Dei & dabitur genti, quæ ferat fructus ejus.*

LIX. Conclusum itaque esto: Quia omnia voluntatis hujus fundamenta sunt Universalia, & ipsam Universalem esse. Ne autem hîc confundaris, in certamine potissimum HUBERIANO, distinguas inter Absolutam voluntatem & Universalem. Ut enim absoluta voluntas non semper est universalis; sic neq; universalis semper est absoluta. Illa enim ad nullum ordinem alligata; hæc verò certo ordine determinata esse potest. Quocirca per terminum *Universalis* nemo absolutam sibi imaginetur, sed ejusmodi voluntatem credat, quæ & universalis sit, & ad certum simul ordinem, quo propositum illud de
salva;

salvatione generis humani circūscribitur, determinata. Hinc non simpliciter & indeterminatè dicit Deus Ezech. 33. 11. *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut vivat:* sed addit determinationem, nempe: *ut convertatur & vivat.* Sic I. Tim. 2. 4. non absolute dicitur: Deus non vult ullos perire, sed omnes salvari: sed iterum determinatè, nempe vult omnes ad pœnitentiam converti, & sic salvari. Atque hæcenus de voluntate Dei Antecedente.

L X. Sequitur, ut quoq; de voluntate consequente, sive particulari paucis agamus. De qua duo consideranda sunt. Primùm ejus Natura: Deinde quomodo ab Antecedente distinguatur. Natura explicatur partim definitione, partim causa, à qua ejus est particularitas. Definitiva oratio duo consideranda objicit: Definitum: & ipsam *Ti ἦν εἶπας.*

L X I. Definitum sive Nomen est *voluntas consequens:* quæ ita dicitur respectu Antecedentis, quam consequitur: non quidem temporis ratione, sed duntaxat ordinis: Nam Antecedens voluntas in sola Dei mente vertitur, & vult seriò, ut omnes per auditum Evangelii verbum credant, & sic credendo sive fide sibi Universale Christi meritum applicent, & salventur, ut est demonstratum: Voluntas verò consequens, etiam si cum illa ejusdem est æternitatis; non tamen in sola mente divina vertitur, sed respectum quoque aliquem ad homines habet: nõ enim considerat amplius, quid ab hominibus fieri possit ac debeat ex ordinatione divinæ voluntatis, nempe Antecedentis: sed quid jam actu fiat: hoc est, quinam actu, & quidem perseveranter in Christum sint credituri, qui verò non sint credituri: unde statim oritur in divina hac consequente voluntate divisio Decretorum: quorum unum est Prædestinationis sive Electionis ad vitam sive salutem: Alterum Reprobationis & Rejectionis ad æternam mortem sive damnationem: neutrum absolutum, sed utrumq; ordinatum est: Prius ad fidem perseverantem: Posterius ad contemptum & repudiationem gratiæ divinæ oblatæ.

L X I I. Hinc simul manifestum est, quare hæc voluntas

etiam Particularis dicatur: non enim ut Antecedens sese ad omnes homines extendit: sed finaliter duntaxat credentes complectitur: proindeq; reverà particularis est.

LXIII. Hinc quoq; *Τὸ τί ἦν εἶναι*, hujus voluntatis cum Orthodoxis Ecclesie Doëtoribus sic exponimus: *Voluntas Dei consequens est æternum Dei decretum de salvandis finaliter credentibus, & damnandis incredulis.*

LXIV. Est ergò decretum hoc non simplex, sed duplex, uti diximus; indeq; rursus particulare arguitur: Prius est de salute credentium: Posterius de damnatione incredulorum.

LXV. Duo hæc decreta conjungit simulq; distinguit Sacra Scriptura hisce testimoniis. Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit* (prius decretum): *qui verò non crediderit, condemnabitur* (posterius decretum). Joh. 3. 18. *Qui credit in Filium, non judicatur* (prius decretum): *qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomen Unigeniti Filii Dei* (posterius decretum). Et ibidem v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam* (prius decretum) *qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (posterius). Scorsim verò & speciatim de priore decreto agunt sacrae literæ: Joh. 1. 12. *Quotquot receperunt ipsum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen ejus*: Joh. 6. 40. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. 1. Cor. 1. 21. *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. De posteriore verò decreto loquuntur hæc dicta: Joh. 8. 24. *Si non credideritis, quod ego sum* (nempe Filius Dei) *moriemini in peccatis vestris*. 2. Thess. 18. *Qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, pœnas dabunt, interitum æternum à facie Domini.*

LXVI. Cæterùm causam particularitatis, quæ hic est, quod attinet, non illa Deo tribuenda; sed soli homini adscribenda est. Deus enim, ut constat ex hæctenus explicatis & demonstratis, constanter, seriò & ardentè vult, ut omnes æqualiter, sine respectu, homines audiant verbum, per ejus auditum
confe-

consequatur fidem, tandemque mediante hac fide salventur. Verum quid sit ex parte hominum? quidam, & sanè maxima pars, Deo misericordi, benigno & fideli, ejusque beneplacito Universali non obsequuntur, verbum non audiunt, indeque non CREDUNT: Quocirca sola hominum infidelitas hujus particularitatis & damnationis causa est. Quandoquidem tota hujus negotii summa ad hanc redit: nempe, quod misericordissimus Deus TOTIUS quidem humani generis misertus, de OMNIBUS omninò hominibus, per fidem in Christum salvandis, clementissimum decretum fecerit: sed cum multi homines proprio suo vitio & inobedentiâ non credituri erant, idem Deus ab æterno similiter decretum fecerit: Alterum, uti diximus, de salvandis credentibus: Alterum de condemnandis incredulis.

LXVII. Hæc quando paulò accuratiùs pensitantur, facile innotescet, quale detur discrimen inter Voluntatem Antecedentem & Consequentem: nempe potissimum triplex. Primum: Antecedens Voluntas nullum habet oppositum Reprobationis decretum: Consequens verò diversis, salvandorū nimirum & damnandorum, decretis distincta est. Alterum: Voluntas Antecedens Universaliter complectitur OMNES HOMINES, omnibusque offert salutis media, ut credant & salventur: Voluntas verò Consequens hominum obedientiam & inobedientiam respicit, quatenus juxta universale consilium credunt; vel eidem repugnantes, non credunt: Extremum: Voluntas Antecedens tantum respicit miseriam hominum, per fidem in Christum restaurandam; Consequens fideles salutem destinat, infideles damnationi.

LXVIII. Unde colligitur ejusmodi *πείσμα*: Consequens voluntas Antecedenti non est contraria, sed huic subordinata sive subalterna: quod porro probatur partim manifestis sacræ scripturæ testimoniis: partim rationibus ex ipsa natura Antecedentis & Consequentis voluntatis petitis. Ex scriptura quidem hoc manifestum est. Primum: Quia illa Consequentem voluntatem conjungit cum Antecedente, illamque huic

huic subordinat in aureo illo dicto Johan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Secundò: Quia idem liquidò constat ex parabolis Evangelicis de Cœna magna Luc. 14. 16. Et de Nuptiis Regiis Matt. 22. 2.

L X I X. Rationes, idem probantes, sunt I. Quia Antecedens voluntas determinat, quid Deus in negotio salutis præstiterit, quid ordinaverit, & quid tandem, ut illam homines consequantur, ab illis requirat: Voluntas verò Consequens respicit ad actum ipsum hominis: An voluntati Antecedenti ejusq; ordinationi obtemperet, & ita vitam aeternam consequatur, necne. II. Quia, uti demonstravimus, licet voluntas Antecedens respectu hominum sit universalis & neminem, excludat; est nihilominus ordinata: Ut nimirum Deus velit omnes homines salvos, verum non simpliciter & absolute; sed respectivè & determinatè, nempe per fidem in Christum.

L X X. Unde manifesta satis & perspicua subordinatio. Quandoquidem demonstrationis in structura Syllogistica, & quidem in prima Figura, quâ quisq; demonstrat, se salvum, & quidem in agone mortis ἀνεπίπτως subsistit, Major fundata est in voluntate Antecedente; Minor verò in voluntate Consequente: Ut *Quicumq; credit, salvabitur: Ego actu credo, & quidem finaliter: Ergo ego salvabor.* Hujus majoris, inquam, fundamentum est in voluntate Dei Antecedente. Nam cur propositio hæc est vera: *Quicumq; credit salvabitur?* Rectè respondeo: *Quia Deus vult, ut omnes homines ad agnitionem veritatis perveniant, & per fidem in Christum salventur,* 1. Timoth. 2. v. 4. Joh. 3. 16. Deinde minor fundatur in voluntate Consequente: Quia is, qui actu credit, & quidem finaliter, salvatur, Matth. 10. 22. Marc 13. 13.

L X X I. Ut igitur Minor propositio non est contraria majori, sed ei subordinata, imò in ea fundata: ita quoq; voluntas Consequens, non tantum est subordinata Antecedenti, sed etiam in ea fundata. Quid? quòd sit ipsa voluntas Antecedens essentialiter, tantum ad me, ad te & alios Electos, qui finaliter credunt,

credunt, determinata: haud secus ac generis essentia ipsa species est, sed indeterminata; ad speciem verò applicata fit determinata; cujus aliàs ipsa essentia est, ut sciunt illi, qui aliquo modo supra vulgus philosophantur. Quinimò si voluntas Antecedens dicatur Universalis & sit quoque, ut id satis demonstratum est, respectu consequentis: & Consequens sit, & dicatur particularis ratione Antecedentis: Quomodo per Deum immortalem voluntas hæc erunt duæ voluntates? Quomodo-ve contrariæ? 1. Ejusmodi enim Universalia & particularia non respectu diversarum operationum, ita distinguuntur. 2. Quia omne particulare ita dictum, Universale essentialiter includit, nihilq; addit aliud, quàm nudam determinationem, ut de genere & specie jam monuimus.

LXXII. Cæterum supra diximus, causam efficientem prædestinationis esse voluntatem Dei conjunctam cum Præscientia, vel potius Omniscientia. Quia igitur hætenus demonstratum est, quomodo in summo hoc mysterio sese habeat voluntas Dei; porrò ostendendum venit, qua ratione Præscientia hic locum inveniat.

LXXIII. Omniscientiam hæc dandam esse, per se liquet. Quod enim volumus, cognitum sit, oportet. Cognitio verò hæc ipsa scientia est vel præscientia. Atque hoc est, quod Augustinus dicit lib. 1. de prædest. Sanct. c. 10. tom. 7. col. 1244. *Prædestinatio est, quæ sine Præscientia non potest esse, potest autem esse sine Prædestinatione Præscientia.* Necessariò igitur Præscientia cum Prædestinatione conjungenda, nequaquam verò confundenda; quod faciunt partim illi, qui Præscientiam causam omnium rerum præscitarum, atq; sic consequenter scelerum quoq; faciunt; partim qui Prædestinationem sive Electionem salvandorum ex mera Præscientia definire, & sic concurrentem specialem actionem Dei decernentem, procurantem, efficientem, juvantem, promoventem, & ad optatum finem deducentem salutem Electorum, tollere volunt.

LXXIV. Ut autem omnem errorem declinemus, sciendum est, Præsciētix vocem in scripturis duplici modo usurpari.

D

pari.



pari. Aliàs enim accipitur in laxa, indefinita, universali significatione, pro visione omnium rerum, quæ sunt, fuerunt, fiunt & futuræ sunt: ut in illo Jobi 28.24. *Ipsè fines mundi, & omnia, quæ sub cælo sunt, videt.* Aliàs sumitur in strictiore significatione, quatenus determinatur ad solos Electos. Illo modo, quia generalis est, hñc propriè non pertinet: hoc verò respectu fit, quasi pars Prædestinationis: & licet cum ea non planè sit idem, tamen recurrit, & eandem habet latitudinem. Quemadmodum enim Deus prævisione hac ab æterno exactissimè prævidit, & præcognovit, quinam verè fideles, aut infideles futuri essent, Johan. 6. 64. Ita quoque juxta eandem prævisionem sive præscientiam, voluntate sua consequente decretum Electionis & rejectionis sancivit misericors simul & justissimus Deus.

LXXV. De præscientia hac, cum prædestinatione juncta, loquuntur sequentia dicta, Rom. 8.29. *Quos præscivit, hos etiam prædestinavit.* 2. Tim. 2.19. *Novit Dominus, qui sunt sui.* Petrus quoque 1. Epist. 1. 2. Pios auditores vocat electos κατὰ τὴν προγνωσιν, secundum præscientiam Dei Patris. Atque hæc de causa Electionis principali, quæ fuit voluntas divina cum electione juncta.

LXXVI. Causa impulsiva in solo Deo querenda est. Estque amor & misericordia Dei, qui nos dilexit in dilecto, cum adhuc essemus inimici ejus, Rom. 5.10. Jerem. 31.3. *Charitate perpetuam dilexi te, ideò attraxi te misericordia.* De misericordia egimus in præcedentibus: de amore quoque multa sunt præclara testimonia: quorum præstantissimum apud Johan. cap. 3.16. supra allegatum: *sic Deus dilexit mundum &c.* Consequente versu amorem hunc talem fuisse testatur Christus, qui mundum non velit perditum, sed maximè servatum, inquit: *Non misit enim Filius Deus in mundum (dilectione scilicet illa permotus) ut condemnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.*

LXXVII. Facta itaque est Electio sive Prædestinatio ex sola gratia Dei: quippe quæ prima causa, principium & fons electio-

electionis nostræ existit: sicut scriptum est, Eph. 1. 5. & 6. *Prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum in sese juxta eudoxiam voluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ.* Et 2. Timoth. 1. 9. *vocavit nos vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & GRATIAM, quæ data est nobis in Christo Jesu.*

LXXVIII. Falsum itaque est commentum, Deum ob bona opera prævisa prædestinare homines ad vitam æternam. Cui pronunciatio scriptura palam contradicit, Rom. 9. 11. 12. & 13. *Nondum natis pueris, cum neq; bonum quicquam fecissent, neq; mali, ut secundum Electionem propositum Dei maneret, dictum est illi: Major serviet Minori: sicut scriptum est: Jacob dilexi: Esau odio habui.* Typum hunc Jacobi & Esau Paulus ad mysterium, æternæ prædestinationis illustrandum, referens, haud obscurè docet, Electionem nostram mere gratuitam esse, neq; ex ullo bonorum operum dependere vel merito vel intuitu.

LXXIX. Quod rursus Paulus Rom. 11. 5. & 6. testatur, inquiens: *Si igitur, & in hoc tempore reliquæ, secundum Electionem gratia fuerunt. Quod si per gratiam, non jam ex operibus.* Itaque nihil in nobis intuetur Dominus, cujus dignitate vel merito ad Electionem nostri moveatur, adeo ut ne fides quidem ingrediatur hoc Electionis arcanum, quatenus in nobis est, sed tantum, quatenus extra nos egrediens, illam æternæ salutis nostræ rupem, Jesum Christum, apprehendit.

LXXX. Medium porro, quod ad causam efficientem principalem reducitur, est duplex, in quo & per quod. Medium, in quo sumus Electi, extra nos, est unicum & solum meritum Christi. Nam nulla unquam fuit, est, aut erit Dei *eudoxia*, erga peccatorem ratione salutis extra Christum, *εὐδοκίᾳ*, Matth. 3. 18. Ergo neque Prædestinatio dabitur, quin sit in merito Christi & ejus respectu facta. Pertinet huc illud Col. 1. 19. *In Christo complacuit Patri reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Item illud Ephes. 1. 4. *Elegit nos in Christo, antequam jace-*

D 2

rentur

rentur fundamenta mundi. Medium, per quod, vel secundum quod, sumus electi, est in nobis: sed non à nobis: Est enim gratuitum Dei donum. Ut enim misericors Dei voluntas cum Præscientia juncta sive *εὐδοκία*, est Electionis causa respectu Dei, qua nimirum Deus nos elegit: ita quoque Fides est ejusmodi causa, non autem principalis vel meritoria, sed instrumentalis vel conditio ratione nostri, qua actio Dei sive Electio ad nos, qui fidem habemus vel habituri eramus, determinatur.

LXXXI. Repetendum itaque, quod diximus, fidem non ingredi hoc Electionis arcanum, quatenus est aliquid in nobis, sed quatenus egrediens extra nos, Christum, ejusque meritum apprehendit, ut ita meritum potius applicatum sit causa nostræ Electionis: Applicatum verò quia esse nequit sine fide, efficitur, quod fides habeat rationem causæ sine qua non & necessariæ conditionis, sine qua Electio fieri nequeat: Quia enim meritum & satisfactio Christi nobis ad salutem nihil prodest, nisi applicetur; sponte sequitur, Deum elegisse peccatores in Christo, non per incredulitatem rejecto, aut ignorato, sed fide agnito & apprehenso.

LXXXII. Quò pertinent Libri concordia verba: *decrevisse Deum in aeterno suo consilio; quod præter eos, qui filium ejus Jesum Christum AGNOSCUNT, & in eum verè credunt, neminem salvum facere velit.* Si decrevit neminem sine Christo, per fidem agnito, salvum facere; utique neminem etiam ad salutem illam absque Christo agnito elegit. Nam ab æterno decernere, salvare, & ad salutem ab æterno eligere, prorsus æquipollent. Hinc Paulus ipse, ut docet, in Christo nos esse prædestinatos, Ephes. 1.5. sic non minore perspicuitate tradit, nos *ἐν τῇ πίστι τῆς ἀληθείας* in fide veritatis electos esse ad salutem, 2. Thess. 2. 13. Ubi quidem fides non ex sua æstimatur, vel dignitate vel merito, sed ex dignitate sui correlati, nempe Christi, quem ipsa fiducialiter agnoscit & apprehendit. Et sanè quia secundum Apostolum facta est Electio in Christo:
Electi

Electi non sunt, nisi qui sunt in Christo: in Christo verò nemo quisquam est, nisi per Fidem.

LXXXIII. Certum quoque est, Electionem ad salutem definiri prædestinationem *εις υιοθεσιαν* ad adoptionem filiorum, Ephes. i. v. 5. verum prædestinationem ad hanc *υιοθεσιαν* scribit Johannes in solis credentibus locum habere: *Dedit, inquit, potestatem Filios Dei fieri, nimirum eis, qui credidissent in nomen ipsius*, i. Joh. i. 12.

LXXXIV. Prædestinatio quoque sive Electio sine spirituali Dei amore & dilectione, quâ, ut filios, complectitur Electos suos, eosque diligit in dilecto, constare nullo modo potest, Eph. i. Jam verò hac Dei speciali dilectione, neminem à Deo diligi sine fide luculentissime testatur Spiritus Sanctus Heb. ii. 6. cum ait: *ἀδύνατον impossibile est Deo placere sine fide*. Ergo nemo etiam eligitur ad salutem sine fide, hoc est, sine Christo fide cognito & apprehenso. Taceo, quod si removeas fidem ab Electione, protinus ipsum Christum inde removisti. Quandoquidem Christus ad salutem nobis otiosus manet, nisi fide agnoscatur, & meritum ejus applicetur.

LXXXV. Tandem non alio modo in tempore nos salvat Deus, quàm quo ab æterno constituit, & decrevit nos salvare: Quandoquidem propositum sive decretum, & executio decreti sibi mutuò respondeant necesse est: Jam verò in tempore Deus non nisi credentes in Christum salvat, Johan. 3. 16. *Matt. 16.* Ergo ab æterno quoque decrevit salvare, sive quod idem est, ad salutem istam elegit, non nisi hos, qui credituri erant in Christum. Ab æterno enim vidit & præcognovit Deus, qui ex auditu verbi, operatione Spiritus Sancti, consecuturi essent fidem: & quia extra omnem temporis rationem fidem in Christum, vel potius Christum ipsum fide cognitum & apprehensum aspicit; ideo (ut verè rem hanc explicat D. Doct. Aegid. Hunnius) explicata illa de Deo *κατὰ αἰθέρω ποταμῶν* loquendi ratione, potius ad salutem DESTINARE dicitur CREDITORES, quam Prædestinare CREDITUROS. Si ergò operatione Spiritus Sancti ex auditu fidem consecuturos

turos ab æterno vidit Deus: ergò non vidit eos, tanquam allaturos aliquid ad efficientem salutis suæ: sed quod ipse eis in tempore misericorditer erat largiturus; id verò non immediate, sed mediate, per ordinata Conversionis organa, ea verò non neglecta, vel spreta, sed accepta & usurpata, quod & parabola Christi de diversitate auditorum verbi, non obscure declarat, Luc. 8.

LXXXVI. Quæ cum ita sint, firmum & immotum manet illud Christi verbum: *Non vos me elegistis, sed ego vos.* Quandoquidem Christus non tantum fidem ipsam operatur, sed omnem quoque cursum, voluntatemque in auditu externo verbi misericordia sua multipliciter antevertit. Hac ipsa de causa dicere solemus, & deinde in definitione ponemus: *Deum elegisse eos, qui operatione Spiritus Sancti credituri erant:* hoc est, usu mediorem ad fidem perventuri, virtute non suâ, sed ex tota & in solidum divina Spiritus operatione merè gratuitâ. Atque hoc pacto Prædestinationis æternum illud propositum est, & manet causa nostræ fidei: sicut missionis, passionis, & mortis filii causa est: atque nihilominus reciproco causarum & effectorum sub diverso genere, quasi reflexu, missio illa, passioque Christi causa vicissim est meritoria nostræ ad salutem electionis: sic etiam fides conditio, secundum quam, sive instrumentalis causa, per quam facta est Electio.

LXXXVII. Objiciunt quidem Augustini dictum, quo innuit, *non eligit nos, quia credimus, sed credere, quia electi sumus.* Sanè dictum hoc, de causa meritoria intellectum, verissimum est. Neque enim PROPTER prævisam fidem sumus electi, ut nec justificamur PROPTER fidem, sed per illam. Remotâ verò meriti opinione, ut & Pelagianorum & Synergistarum errore, agnoscit pia Antiquitas, rectè scripsisse eundem Augustinum lib. 1. de prædestin. cap. 3. *Non elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est: sed FIDEM elegit in præscientia, ut quem sibi crediturum præscivit, ipsum elegerit.* Quam sententiam repetivit tractatu in Johannem 42.

his ver-

his verbis: Quoniam PRÆSCIVERAT, qui fuerant CRE-
DITURI, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione
nascerentur ex Deo. Ad quos pertinet: Qui ex Deo est, verba Dei
audit. Quod verò sequitur, propterea vos non audistis, quia ex Deo
non estis, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant, nam
hoc malum commune erat omnibus: sed & PRÆCOGNITI, quod
NON fuerant CREDITURI ea fide, qua sola possent à pecca-
torum obligatione liberari: Quapropter PRÆSCIEBAT illos,
quibus talia dicebat; in eo permansuros, quod ex Diabolo erant, id
est, suis peccatis atq; impietate morituros, in qua ei similes erant, nec
venturos ad regenerationem, in qua essent filii Dei, hoc est, ex Deo na-
ti, à quo erant homines creati. Secundum hanc prædestinationem lo-
cutus est Dominus, non quod aliquem hominem invenerit, qui vel se-
cundum regenerationem jam esset ex Deo, vel secundum naturam jam
non esset ex Deo.

LXXXVIII. Sic Hieronymus super verba Rom. 8.
(His, qui secundum propositum vocati sunt) scribit: secundum quod
(propositum) proposuit sola FIDE salvare, quos PRÆSCIE-
BAT CREDITUROS, & quos gratis vocavit ad salutem, mul-
to magis glorificabit ad salutem. Idem super verba Rom. 11. Non
repulit Deus populum suum ὃν ᾤκησεν, quem præcognovit)
illam, inquit, plebem non repulit, quam PRÆSCIVIT CRE-
DITURAM.

LXXXIX. Idem Ambrosius docet in cap. 11. ad Rom.
Ne omnem Israel dixisse diffidentem putaretur, ostendit, non repulisse
Deum hæreditatem suam, quam PRÆSCIVIT, id est, filios Abra-
hæ, quos fideles sibi FUTUROS SCIVIT. Nec enim promitte-
ret eis regnum, si SCIRET, nullum ex his CREDITURUM. Ha-
tenuis causa efficiens Electionis.

XC. Cæterum Finis Electionis sive Prædestinationis
est duplex: Internus sive intermedius: & externus sive ultimus.
Internus finis est vita æterna. Est enim prædestinatio ad vitam
æternam præordinatio, Act. 13. 48. Crediderant, quot quot erant
præordinati ad vitam æternam, 1. Thef. 5. 9. Non posuit Deus in
iram,

iram, sed acquisitionem per Dominum nostrum Jesum Christum.
Externus & summus finis est gloria Dei: Ephes. 1. 5. *Prædestina-*
vit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, &c. IN LAU-
DEM GLORIÆ gratiæ suæ: quæ nos acceptos reddidit in di-
lecto. Et Petrus, 1. Epist. 2. v. 9. *Vos genus electum, regale sacerdo-*
tium, gens sancta, populus, quem Deus sibi ut proprium vendicat, ut
VIRTUTES PRÆDICETIS illius, qui è tenebris nos vocavit
in admirabilem suam lucem.

XCI. Ultimò circumstantiam temporis, quod spe-
ctat, decretum hoc non factum est in tempore, sed, ut ex ha-
ctenus explicatis facilè intelligitur, in Concilio Sacrosanctæ
Trinitatis ab æterno, uti id quoque testatur Apostolus Paulus
1. Cor. 2. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est,*
quæ prædestinavit Deus ANTE SECULA. Ephes. 1. 4. & 1. Pet.
1. 20. *ante constitutionem mundi.* 2. Timoth. 1. 9. & Tit. 1. 2. *ante*
tempora secularia. 2. Thes. 2. 13. *ab initio,* quam phrasin in-
terpretatur Michææ ἐπεφύθησις Cap. 5. 1. *ab initio à diebus æ-*
ternitatis.

XCII. Hinc tandem colligitur definitio, quod scili-
cet Prædestinatio sive Electio sit decretum, beneplacitum at-
que propositum voluntatis Dei juxta præscientiam ipsius ab
æterno factum, quo ex mera sua gratia & misericordia omnes
illos, quos operatione Spiritus Sancti perseveranter in Chri-
stum credituros esse præscivit, per & propter Christum ad vi-
tam æternam præordinavit, & salvare constituit. Atq; hactenus
fuit Prædestinationis *θεωρία* absoluta.

XCIII. Respectivè ad objectum quando considera-
tur, quæritur 1. An sit Absoluta, vel Ordinata. 2. An Universa-
lis vel Particularis. Absolutam Prædestinationem fingunt
Calviniani & Huberus: Verùm non eodem modo. Illi intro-
ducunt Prædestinationem absolutè particularem; Hic absolu-
tè universalem. Verum utriq; pessimè erratur.

XCIV. Primùm igitur statuimus cum orthodoxa Ec-
clesia contra Huberum, Electionem non Universalem, sed
particularem esse: quod probat illud Christi Matth. 20. 16.
Multi

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Nullo igitur modo in Electorum numero habendi sunt illi. 1. Qui Dei verbum non audiunt, execrantur, atque persequuntur. 2. Qui ad verbum auditum corda sua obturant. 3. Qui Spiritui sancto reluctantur. 4. Et tandem omnes illi, qui absq; pœnitentia in peccatis perseverant.

XCV. Quemadmodum enim Deus in Decreto suo æterno ordinavit, ut Electi per mysterium verbi vocentur, à Spiritu Sancto illuminentur, convertantur, & per veram fidem in CHRISTUM justificentur ac salventur: sic etiam in eodem æterno consilio decrevit, quòd omnes illos, qui vocati verbum respuunt, Spiritui Sancto, qui in illis efficax esse cupit, repugnant, atq; in illa malitiosa & perversa contumacia persistunt, deserere, & consequenter indurare, reprobare, æternæq; damnationi adjudicare & devovere velit.

XCVI. Ex quibus porrò manifestum est, quemadmodum Voluntatis Consequentis particularitas non est à DEO; quod eodem modo hujus quoq; Particularitatis, quæ in Electione est, causa non penes DEUM hæret; sed quemadmodum illius causa est ipsorum hominum impietas; ita etiam hujus alia danda non est: siquidem hæc & illa una eademque particularitas est.

XCVII. Deinde eum eadem Orthodoxa Ecclesia statuimus contra Calvinianos, particularitatem illam non esse absolutam, sed ordinatam. Ordinatur enim ad meritum Christi, & ad fidem. Ad meritum quidem Christi: Nam Christus (sunt verba Formulæ Concordiæ) in decreto Electionis consideratur, non tantum ut Universalis mediator, sed etiam quatenus ipse ab hominibus apprehendendus est. His enim verbis ipsemet voluntatem Patris cælestis atque Electionem nostram ad vitam æternam annunciavit: *Pœnitentiam agite, & credite Evangelio, Marc. 1.15.* Item: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut, qui Filium videt, & credit in eum, habeat vitam æternam. Joh. 6.44. & alibi. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam*

ε

æter-

eternam. Joh. 3. 16. Ad fidē: Quia respectu prævise fidei ab aeterno Deus nos elegit, ut patet ex præcedentibus, & ex hoc, quod Christus dedit potestatem filios Dei fieri non his, qui ex sanguinibus, non qui ex voluntate carnis, non qui ex voluntate viri, sed qui ex Deo nati sunt, hoc est (interprete Johanne) qui credunt in nomen ipsius, Joh. 1. 12. Atque hæcenus de Electione abstractè sumpta.

XCVIII. De Electione concretè in Electis cōsideratâ, duæ potissimùm moventur quæstiones. 1. An Electorum sit certus ac definitus numerus? 2. An Electi gratia Dei excidere queant? Prior quæstio duobus intelligi potest modis: Nempe, an Electorum numerus sit determinatus respectu fatalis alicujus & absoluti decreti? Deinde an certus sit respectu præscientiæ, vel potius omniscientiæ divinæ.

XCIX. Eò modò si sumatur quæstio, eam negamus. Quemadmodum enim prædestinatio ipsa, uti ex præcedentibus liquet, à nullo absoluto decreto pendet, ita neque Electorum numerus per ejusmodi decretum est constitutus & determinatus. Hoc verò modo Electorum numerum certum esse apud Deum, nullam est dubium. Sic enim hæc de re loquitur, & statuit Form. Concord. *Dubium non est, quin Deus exactissimè & certissimè antè tempora mundi præviderit, & hodiè etiam noverit, quinam ex eorum numero, qui vocati sunt, in Christum credituri, aut non credituri sint: qui ex conversis in fide perseveraturi sint, qui non, & qui in peccata gravia prolapsi, reversuri, & qui in sceleribus perituri. Et haud dubiè eorum etiam numerus, qui salvabuntur, & damnandorum, Deo probe notus est.*

C. Hac ita piè & orthodoxè ex ipsis S. Scripturæ fontibus explicat Concordia. Quia enim Deus omniscius est, isthæc quomodo scire, & quia omnia præsentia habuit ab æterno & adhuc habet, quomodo & hæc videre non potuisset? Sunt etiam clarissima S. Scripturæ testimonia, quæ sententiam hæc confirmant. Rom. 8. 29. *Quos præscivit, eos etiam prædestinavit.* 2. Tim. 2. 19. *Solidum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Novit Dominus, qui sunt sui.*

C I. Inquis, perinde esse, five fatali, five hoc modo certus & determinatus Electorum numerus ponatur. Nam & hic certitudo à præscientia pendet? Primum negamus perinde esse, à certo decreto effectivè pendere, & Præscientiâ five Omniscentiâ aliquid, quod est, & ex suis particularibus caussis pendet, five existit, ut est & existit, certò videri. Illud inevitabilis & fatalis decreti est: hoc nudæ scientiæ, visionis & cognitionis: Illud etiam necessitatem affert effectis, quia immutabilis eorū causa est: hoc nullam rebus visis five cognitis: quia illarum causa non est. Ut igitur Præscientia Dei, quatenus talis, & ἀπλῶς sumitur, nullarum omninò rerum causa existit: ita neq; in sese sumpta electionis, neque damnationis in hominibus causa est: sed ea in ordinatione divina, nudè si loqui velimus, triplex datur; Misericors Dei voluntas, Meritum Christi & Fides. Si igitur omninò causa dicenda esset Præscientia, nomine causæ sine qua non venire posset: quandoquidem est necessaria conditio causæ Efficientis, sine qua illa agere vel noluit, vel ratione universalis sui decreti non potuit. Quos enim Deus præscivit credituros, hos elegit.

C II. Contingenterne & fortuito salvantur Electi, & damnantur Reprobi: cum illorum Electio non sit absoluta vel fatalis? Nullo modo fortuita, vel contingens filiorum Dei propterea censenda est adoptio & electio. Nam fatale & absolutum duplicem habet respectum: vel ad suum genus, quod est necessarium five immutabile: Quandoquidem omne fatale & absolutum est necessarium five immutabile: non verò contra, omne necessarium & immutabile est fatale, & absolutum. Dantur enim plures necessitatis vel species vel gradus: vel ad oppositas species, quas habet sub illo genere, inter quas etiam numeratur *Ordinatum esse*. Quandoquidem & hoc necessarium est & immutabile, licet non eodem planè necessitatis gradu.

C III. Quà hypothesi darâ ut certâ & immotâ, quilibet intelligit, quod, negato hoc, nempe electionem filiorum Dei esse fatalem & absolutam, non statim affirmetur, illam contingentem & fortuitam esse. Cum negatâ unâ specie, non

statim affirmetur contrarium genus: Quemadmodum, negato
bruto, non statim affirmatur corpus non sentiens: sed ut in hac
negatione relinquatur genus, & in eo oppositæ species: ita et-
iam absoluta & fatali electione negatâ, relinquatur genus ne-
cessarium esse, & opposita species, ordinatum esse. Quocirca
respectu ordinationis divinæ, quæ certa & immota est, simpli-
citer negamus, vel improbos fortuito damnari, vel credentes
fortuito salvari. Quandoquidem certo decreto apud Deum
constitutum fuit, qui salvari (nempe credentes,) qui contra da-
mnari (nempe increduli) debeant, juxta illud Joh. 3. 18. *Qui cre-
diderit salvabitur: qui non crediderit, jam condemnatus est.*

CIV. Quod tamen decretum non involvit tantum
necessitatis gradum, quantum si absolutum esset: Certo enim
respectu duntaxat necessarium & immutabile dicitur, nempe
respectu mediorum à Deo ad salutem ordinatorum. Omnes
enim necessitate hujus decreti divinæ Ordinationis necessariò
salvantur, qui verbum audiunt, & ex verbo, operante Spiritu
S. fidem hauriunt, inq; ea finaliter perseverant: Contra verò eâ-
dem hujus decreti necessitate cæteri, qui non credunt in nomē
Unigeniti Filii Dei, non possunt non damnari. Contingentia
verò hîc quædam involvit respectu objectorum singulariū
& individuorum. Nam licet in nullius individui hominis po-
testate sit, se ad Deum convertere: in ejus tamen potestate est,
audire vel non audire, scrutari, vel non scrutari verbum divi-
num: itemq; in ejus arbitrio est & potestate, verbum repudia-
re, Spiritui S. (qui in illo per verbum efficaciter operari vult)
resistere, & obstinato animo in ea contumacia perseverare.

CV. Alteram quæstionem quod spectat: An Electi gra-
tia Dei excidere queant: tenendum est, homines duplici modo
gratia Dei excidere posse: Vel totaliter simul & finaliter: Vel
totaliter quidem, sed non finaliter. Totaliter & finaliter simul
gratia Dei excidere dicuntur illi, qui ad tempus credunt, tem-
pore vero persecutionis deficiunt & damnantur. Totaliter, sed
non finaliter, gratiâ Dei excidunt, qui in mortalia peccata pro-
lapsi, per prædicationem legis ad poenitentiam revocantur,
denuò,

denuò convertuntur, verâ fide in Christum justificantur, & tandem salvantur.

CVI. De Electis igitur & quidem propriissimè ita dictis, verum est, quòd possint excidere gratiâ Dei totaliter, sed non finaliter. Priùs nempe, quòd gratia Dei totaliter excidere queant, inde probatur, quia nimirum in Electos cadit peccatum contra conscientiam. Posterius, quoq; quòd scilicet gratiâ Dei non excidant finaliter, patet hisce rationibus. 1. Quia contradictionem implicat, electum esse, & finaliter excidere gratiâ Dei ac damnari: cum Electorum inseparabilè proprium ac consequens sit, in gratia Dei finaliter manere ac salvari. 2. Quia Electi non tantùm sunt conversi, fide donati, Spiritu Sancto ornati, illuminati & sanctificati, quando quidem isthæc omnia de quibusvis renatis dici possunt; verùm etiam, quòd præ his peculiare habent, æternæ salutis actu redduntur participes: juxta illud Apostoli. *Quos elegit, hos & glorificavit.* Jam, quòd actu est glorificatum, & salvatum, quia tale est, non potest non esse glorificatum & salvatum: Ergo neque damnatum neq; damnabile.

CVII. Ex quæstione hac adhuc aliæ duæ progerminant. 1. An aliquis possit esse certus de sua salute? 2. An possit esse certus de salute alterius?

CVIII. Ad priorem simpliciter affirmativè supra responsum est, & multis demonstratum. Breviter: quia novit Christianus. 1. Deum neminem absoluto decreto aliquo damnationi devovisse. 2. Deum non ad quasdam singulares & in individuo cogitatas personas; sed ad credentes, quicumq; etiam illi ratione personæ sint, Electionis decretum direxisse. 3. Spiritus Sancti virtute nos custodiri ad finem usq; per fidem ad salutem: modò non destinatò consiliò & plenâ voluntate ejus imperium excutiamus. Hoc obstaculo remoto, ipse perhibet testimonium Spiritui nostro, quòd simus filii Dei, Rom. 8. 16. 4. Deum vi promissionis fidelem esse, conservaturum nos in bono, & effecturum, ut neq; mors, neq; vita, neq; ulla creatura nos possit separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu,

Domino nostro. Quæ certitudo tam firma est, ut neq; à Diabolo, neq; ab inferorum portis expugnari queat. Deus enim credenti fidem non aufert, sed illam magis magisq; auget, confirmat, corroborat. Videatur Hütterus in Form. Concord. de Præd. quæst. 4.

CIX. Quæstionem posteriorem quod spectat, cum eodem D. Hüttero distinguimus inter infantes recens natos & baptisatos, qui in infantili ætate moriuntur, & inter adultos. De illis extra controversiam est, quòd sint electi: mediante enim Baptismate in gratiam sunt recepti, in filios adoptati, & verâ fide justificati ex hac vita migrarunt. De reliquis verò, qui ad adultiorum pervenerunt ætatem, ut de adultis in universum omnibus, non nisi hypotheticè & conditionaliter ferendum est iudicium, eos nimirum inter Electos Dei numeratos & receptos esse, si in fœdere permanserint, & veram in Christum fidem usq; ad extremum halitum retinuerint & custodierint. Hoc enim est, quod Christus inquit Joh. 15. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Et Petrus I. Epist. 5. 12. conditionaliter iudicat de Sylvano: *Per Sylvanum fidelem fratrem, UT ARBITROR, breviter scripsi,*

Atque hætenus thesis
nostra.

SOLI DEO SIT LAUS ET GLORIA.





Ad Dn. Joannem Cossenium Femarâ Hol-
fat. SS. Theol. Studios. de Prædestinatione
disputantem.

Summa est Stultities, remota nobis
Infans petere ausibus, nec intrâ
Cancellos tumidum ponere Spiritum,
Atq; arcana Dei limina querere:
Quisquis elato petit alta Corde,
Fata timebit.

Non hoc est opus in vigore mentis
Repositum misera, sed illa capta est,
Divum consilium si sua persicit
Efecta, & stolidos turpiter arguit.
An potest quicquam Ratione quari
Celsius actum?

Ille est tutior, & minus pavebit,
Qui, quod pagina ter verenda tradit,
Credidit simpliciter, nec Rationibus
Conceptus patitur, vincier igneos.
Ille nec flatus fugiet, nec imbres,
Nec mala quævis.

Hæc vis est pia Conscientiarum,
Non ullis malè frangier procellis.
COSSENI, tua quod dum Pietas facit,
Tranquillum poterit prændere tramitem.
Perge, COSSENI, tua sic in ævum
Gloria crescet.

Ponebat Charissimo suo Dn. Com-
mentali

Elias Pezoldus Hanâ-Sil.

F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092





SB

Repro

VD 77







47

TERTII
Confessionem
o XIV.

APRÆ.

NE HOMI-
ead finem usq; vi-
ntium,

ta
ia VVittebergenlis,

IDE
RTINI S.S. Th.

mario, Facult. Theol.
Arcis Præposito,

VENTE
NIO Femariâ, Hollato,

llegii Veteris
funi.

ERGÆ,
A HERBACH, Acad. Typogr.
C XXX.